58 Ca 2

LODOVICI CAELII RHODIGINI LECTIONVM ANTIQVARVM LIBRI XVI.

FROBENIANIS EXCVSI TYPIS

APVD INCLYTAM BASILEAM.

Front., cop. CCLA, 201505

Piatto ant., cop. CCLA, 20150512

¶ Qua ratione Soſipolis deus coli ab Heleis ſit cœptus. Bacchi miracula, & feſtum Thyia.

CAPVT XLIX.

DAEMONICAS illuſiones, quibus Priſcorum hominum rudis ſimplicitas irretita, oblaqueatáq; in præceps data eſt, ut falſis mancipata religionibus adoraret, quod neſciebat, alicubi opinor, non neglegimus. Nunc non itidem omittemus, quod inter legendum opportune ingerere ſe, eſt uiſum. Mouerant quandoq; aduerſum Heleos magna ui Arcades, exiuerāt exaduerſum illi quoq; exercitu haud contemnendo. Comparuit tunc mulier uberibus infantem alens, uti tum eſt uiſum, quin eundem utero ſe geſtaſſe, aſſeuerabat. Audiens uero Heleorum duces, ſomno monitam dixit, infantem illis oblatum ueniſſe, futurum belli ſocium. Vera locutam arbitrati Helei, nudum infantem hoſti ante omnes in principijs obijciūt. Interim impetum dabant Arcades, qui confertim nitibundi, cum proruētes intra teli iactum ueniſſent, iam qui uidebatur infans prius, Draconem induerat, territi ſpectaculo tam meticuloſo, ac formidabili Arcades, ac inde ordinibus turbatis, mox ſeſe diſpalati in fugam coniecere. Illos uero inſecuti Helei cum magna cæde inſignem rettulere uictoriam. Reuerſis autem ex hoc euentu deus eſt factus σωσίπολις, Quæ eum prænomſtrat uox, qui ciuitati ſalutem attulerit. Sacellum ibi potiſſimum eſt excitatum, in quem locum à prælio intruſiſſe ſe Draco erat uiſus. Verum & inibi quoq; Ilithyæ ara erecta, ceu ab ea productus ad homines Soſipolis deus foret. Effingi conſueuit puerili ſpecie, Chlamyde ſtellis diſtincta, manuum altera κέρας τῆς ἀμαλθείας ſuſtinente, quod apud Aeginam habet fortuna. Eſt apud Heleos miraculum alter, Nam in Bacchi feſto, quod θυίαν nuncupant, illati templo Lebetes tres noctu ſponte implentur uini, foribus accurate occluſis, obſignatis etiam, ne fraudem ſuſpicari quis poſſit. Quin Andrij quoq; quotannis eiuſdem ſolenni die ſpontaneum è templo ſcaturire uinum, prædicant.

¶ De Plutonis templo apud Heleos, quod annis ſingulis ſemel tantum recluderet.

CAPVT L.

APVD Heleos inter cætera uel numeroſiſſima deorum templa, fuiſſe item Plutonis περίβολον, id eſt Septum & delubrum, memoriæ proditur. Id uero quotannis ſemel modo aperiri, uetuſtiſſimi fuit moris. Nec tamen ita patens ingredi quenq;, putabant fas. Cur uero ab Heleis honores indeptus ſit diuinos Pluto, Sic ferè explicari animaduerto. Cum Hercules militari manu aduerſum Pylios eſſet profectus, illi præſtò fuiſſe Pallada Heleam, belli ac laborum ſociam. Sed & Herculis odio uiciſſim ad Pylios Plutonem ueniſſe, quod etiam ab illis coleretur eximie. Iis uero aſtipulari Homerum quoq;, apud quem in Iliade ſic ſcriptum inuenias.

τλῆ δ' ἀίδης ἐν τοῖσι πελώριος ὠκὺν ὀϊστόν,
εὖτέ μιν ωὐτὸς ἀνὴρ διὸς υἱὸς αἰγιόχοιο
ἐν πύλῳ, ἐν νεκύεσσι βαλὼν ὀδύνῃσιν ἔδωκεν.

Helei itaq; Plutonem, ut ipſis beneuolum, & Herculis inimicum templo honeſtarunt. Quod per annum ſemel pateat, quoniam unus itidem homini eſt ad inferos deſcenſus.

¶ Timothei ſententia de frugi uictus cōmoditate, Platonis in re eadē cōmendatio.

CAPVT LI.

FRVGI uictus, & præparci quæ à prudentiſſimis promantur emolumenta, ni fallor, alibi ſum curioſe ſatis perſecutus. Nunc, quod ſe ingerit, exemplū clariſſimum præterijſſe nequeo. Quippe genus hoc plurima grauius permouent ſæpe, quàm ex philoſophorum ſcholis, quæ proferuntur documenta. In memorijs ergo traditum ueteribus, Timotheum Cononis Athenienſium uel memoratiſſimum ducem, relictis quandoq; ſumptuoſioribus cœnis, ac imperatorijs epulationibus, exceptum conuiuio à Platone in Academia. Cumq; non fuiſſet id miſſuum numero magnificum, nec ullo magnopere apparatu conſpicuum, ſed ſimplex plane,

[illegible]

CAPVT LII

[illegible]

Ἀρκάδες Ἀζᾶνες βαλανηφάγοι, οἳ Φιγάλειαν
νάσσασθ', ἱππολεχοῦς Δηοῦς κρυπτήριον ἄντρον

N

C. M6v e N1r ms, cop. CCLA, 20150512